



THomas ille apud Bielenses in Heluetia natus est anno circiter 1472. Is cum prima rudimenta in patria percepisset, se se ad Basiliensem Academiam contulit, atque artibus & linguis preclaram operam nauauit. Postea quoque Theologiae diligenter incubuit, atque adeo profecit, ut sacrarum literarum Doctor crearetur. Inde quoque inter eius scholae professores plurimum emicuit, atque Academiam illam ualde exornauit. Quantus autem Thomas fuerit, ex Leonis Iudae epistola quam in annotationes Zuuinglii super Euangelistas edidit, abunde patet, qui sic de eo scriptum reliquit ad Senatum populumque Bielensem: E uobis, inquit, prodijt nobis D. Thomas ille Vuittenbachius, uir in omni disciplinarum genere exercitatissimus, & qui propter multijugam eruditionem omnibus istius seculi doctissimis hominibus miraculo & stupori, & Phœnix quædam habitus sit. Quo præcepit re Zuuinglius & ego uno eodemque tempore, circa annum Domini 1505 Basileæ literis operam nauantes, formati sumus. Nec solùm in cultioribus disciplinis, quorum erat callentissimus, sed in scripturarum quoque ueritate. Ut enim homo ille præter singularem eloquentiam acuto erat ingenio, multa quæ posteris temporibus ab alijs prodita sunt, præuidebat & præfigiebat, ut de Indulgentijs papisticis, & alijs rebus, quibus Romanus pontifex stultum mündum aliquot iam seculis dementauerat. Ex hoc hausimus quicquid nobis fuit solidæ eruditionis, atque hoc ei etiam debemus: hæc ille. Postea uero Thomas Bielam in patriam rediit, & cum Lutheri & Zuuinglii doctrina passim innotuerit, Euangelij lucem suis ciuibus fideliter communicauit. quin etiam Berne in potentissima repub. huius doctrinæ semina sparsit, atque apud omnes in magna autoritate fuit. Tandem anno circiter 1526 in patria obiit, & multorum luctu sepultus fuit. Leo Iud. Anon.